Programm

des Gymnasiums zu Stendal,

mit welchem

zu der öffentlichen Prüfung,

Montag, den 21. März, Vormittags 9 Uhr und Nachmittags 2 Uhr,

so wie zu der

öffentlichen Feier des Geburtstages

Sr. Majestät des Königs,

Dienstag, den 22. März, Nachmittags 2 Uhr,

und zu der

mit dieser Feier verbundenen Abiturienten-Entlassung

ehrerbietigst einladet

der Director Dr. Krahner.

Inhalt:

Stendal 1864.
Druck von Franzen und Große.

De Apuleii elocutione.

Qui factum sit, ut ad Apuleium nostra aetate atque post Hildebrandum a paucis, quod sciam, nec nisi obiter tractatum deferrer, ea de re fusius exponere vix attinet. Sed iuvat hic breviter recolere memoriam iucundissimae sodalitatis, qua Sedini cum collegis amicissimis fere per triennium fruebar. Ibi igitur post alios scriptores Apuleii quoque Metamorphoseon libros legimus, sed ut fit in tali circulo, oblectationis gratia remotisque gravioribus studiis. Haeserunt tamen non pauca, posteaque, cum Erfurti otium suppeteret, redii ad Apuleium et ab ipsis rebus magis iam conversus ad cognoscendum dicendi genus spem concepi, fore, ut ex eis, quae me delectarent, etiam ad alios aliquis redundaret quantuluscunque fructus. Itaque cum hic prooemii conscribendi munus mihi offerretur, haud cunctanter apud me constitui, ea, quae hucusque observassem, colligere, explere atque examinare; subsidiis vero adiutus sum editionibus ab Hildebrando comparatis.

Atque Hildebrandus quam praeclare cum in universum de Apuleio tum de omnibus eis meritus sit, quae ad meum propositum pertinent, intelliget qui ad Apuleium vel obiter tractandum accesserit. Sane vir doctissimus meae laudis non indiget, sed ingratus fierem, si reticere vellem, quam multa ei debeam. Itaque ingenue profiteor me permulta, ne dicam plurima, ei referre accepta: summa eius doctrina multa observavit observataque exemplis largissima manu allatis firmavit; neque solum in singulis mihi iste praeclarus dux praeivit, sed etiam in Apuleii elocutione in universum describenda facere non potui, quin eius vestigiis insisterem eaque, quae pluribus praefationis locis protulit, in meum usum converterem.

Itaque ut iam accedamus ad dicendi genus, quod Apuleii proprium est, in universum describendum, primum commemoro quod in plerisque scriptoribus deprehendere liceat, prae ceteris in Apuleium cadere. Nemo enim est, ne obiter quidem Apuleii libros perlustrans, cui non statim primoque obtutu pateat, quanta sit per singulos libros elocutionis varietas; qua in re facile in tres quasi classes dividere possumus omnes libros. Maximo enim discrimine differunt Metamorphoseon libri ab oratione illa, quam Apuleius habuit a magiae accusatione sese defensurus. Illic enim auctor plerumque, ut uno verbo complectar, nimius est, contra hic etsi magnis persaepe verborum ambagibus utitur (cum Hildebrando loquor), tamen minime ingrata est ista larga copia, sed qua plerumque gaudere possis, neque raro est, ut oratori vel elegantiae laudem iure concedas. Multa deinde comprobant, scriptorem in excolenda atque perpolienda dictione perquam studiosum optima quaeque exemplaria ante oculos habuisse ipsumque Ciceronem non sine felici fructu secutum esse.

Reliqui, de quibus iam tertio loco dicendum est, libri haud aeque multum ad nostram rem faciunt; inter quos de Floridis Hildebrandus (praef. ed. mai. pag. XLI) durum

neque tamen iniustum fert iudicium: neque rerum, inquit, iucundidate neque dictione ita excellunt, ut digni sint, qui memoriae tradantur. Atque illud quidem contra Oudendorpium disputat, opinatum excerpta ex Apuleii scriptis contineri his libris, affirmatque scriptorem multo meliora sibi quaerere potuisse compilanda; ipse vero Hildebrandus cum Cresollio putat esse declamationes (αὐτοσχεδιασμάτων venit in mentem), quas Apuleius huc illuc profectus rhetorum more declamabat. Utut est (confiteorque pluribus de causis Cresollii sententiam ab Hildebrando comprobatam mihi quoque magis arridere) id constat satis emendatum dicendi genus in tali opere miscellaneo et subitario expectari non posse. Atque profecto tantum abest, ut vitia iam in primo opere a me notata maturior aetas temperaverit, ut etiam aucta ea invenias. Ampullat nimis saepe auctor gaudetque inani verborum strepitu, qui erat rhetorum mos; ex altera vero parte offendit saepius neglegentia minime grata: omnino limam omisit.

Sequuntur libri de deo Socratis, de dogmate Platonis, de mundo: in his componendis auctor fere totus Graecorum scriptis nititur multaque accuratae conversionis speciem prae se ferunt. Sed in tali opere fieri non potest, quin cum rebus etiam dicendi genus transferatur, contraque ea, quae latini auctoris propria sunt, magis recedant; itaque in examinanda Apuleii dictione isti libri levioris tantum momenti esse possunt, si exceperis dialogum Hermetis Trismegisti, de cuius dictione Hildebrandus (l. c. p. LIII., LIV.) accurate egit multisque exemplis cum ad vocabulorum copiam significatumque cum ad res grammaticas pertinentibus demonstravit magnam intercedere similitudinem inter illius reliquorumque librorum dictionem; quae quidem quanta sit vel inde colligere licet, quod Hildebrandus eo testimonio nixus librorumque mss. auctoritate librum contra eos vindicat, quibus spurius omninoque Apuleio abiudicandus visus erat.

Sed quamvis tempus sit redire ad istos gravioris momenti libros paullo accuratius describendos, tamen hunc locum praecipue opportunum ratus paucis illius eximiae varietatis causas explicare conabor, quarum unam cum Hildebrando repeto ex tempore, quo Metamorphoseon libri conscripti sunt. Tunc enim Apuleius admodum iuvenis erat (fere viginti quinque annorum, ut Hildebrandus, quem docte et sagaciter de hisce omnibus disserentem adeant si qui accuratius haec perspicere volent, mihi quoque demonstravit). Sed eo tempore latinam linguam tantummodo perceperat eam, qua Carthagine atque per reliquam Africam loqui solebant, quae quam multis nominibus ab eo quod erat Romae dicendi genere distet, nemo ignorat. Itaque quum prae ceteris Afri multa e prisco sermone repetant sintque elegantiarum atque adeo argutiarum in dicendo perstudiosi captatores, non miraberis talia apud Apuleium quoque reperiri. Deinde rationem habe rerum ab ipso enarratarum ac postremo respice ad totum eius ingenium. De rebus ipse praefatur: „sermone Milesio varias fabulas conseram. ... lepidoque susurro aures permulceam.“ Haec ipse auctor; et sane variae sunt fabulae, quodque hoc loco ante omnia tenendum est, res narrantur e communi hominum vita depromptae neque ita raro scriptor vel ad infimae sortis homines descendit. Ad componendas id genus fabulas non magnam artem sollertiamque requiri quivis intelligit; argumenta vero ipsa ut in componendis fabulis multum valent, ita etiam in conformando dicendi genere haud levis sunt momenti; itaque facile est intellectu

vulgarium rerum auctorem etiam vulgari sermone multum fuisse usum; eamque causam repereris, cur tam saepe comicorum apprime Plauti memoria legentium subeat animos, passimque invenias, quae ad Ciceronis epistolas accedant.

Restat, ut quae de ipso auctore dicenda videantur, subiiciamus. Splendido haud dubie et alacri ingenio praeditus in fingendo atque imaginando eximio quodam cogitationis vigore excellit; adde iuvenilem, quo agitabatur, ardorem et multa cum facilius intelliges tum libentius tolerare voles.

Haud leviter immutatam cognosces Apuleii elocutionem, si accesseris ad orationem istam, quae inscribitur „de magia." Eam Hildebrandus, quocum hic quoque facio, demonstrat aliquot annis post editos Metam. libros esse habitam praetereaque multis eisque gravibus argumentis allatis auctor est, eam, postquam fuerit pronuntiata, secundis curis retractatam, perpolitam, denique fere dimidio auctam esse. Namque multa, quae sane aliena sunt a magiae crimine, auctor praemittit, in ea conversus, quae accusatores sibi opprobrio vertissent, velut promissi capilli decus, utriusque linguae scientiam, alia. Ita veri simillimum est modo posteriorem orationis partem revera esse habitam, quam Apuleius auctiorem edidit, ut totius vitae suae imaginem quam accuratissimam et luculentissimam popularibus suis proponeret.

Iam per eos annos, qui inter utrumque librum interiacent, multum Romae atque in foro versatus est, et quantopere in excolenda dictione elaboraverit, ipse minime reticet; immo aperte gloriatur puro atque pulchro sermone, quem longa exercitatione optimosque magistros sequendo sibi conformaverit; idque verum esse libenter ei concedimus aeque annis atque fatis eum reperientes maturatum. Itaque quamvis multa e priore consuetudine retinuerit (neque enim tam penitus se commutare vel potius sui oblivisci potuit), tamen pleraque vides temperata atque in certos fines redacta. Ita ille verborum strepitus molesque vix tolerabilis in commodam gratamque copiam conversa est, elegantiae studium moderatius idemque cautiore iudicio ductum invenies, ingratae neglegentiae offenderis multo paucioribus exemplis, ingenii denique petulanti adeoque lascivo lusui auctor multo rarius moderatiusque indulget.

His de varietate dictionis per Apuleii libros conspicua deque illius causis prolatis pergere iam licebit ad ea proponenda, quibus Apuleianae dictionis proprietas contineri videatur.

Itaque istam, de qua iam diximus nimietatem (liceat verbo uti Apuleio prae ceteris usitato), pluribus nominibus deprehendere possumus. Sane dictio vivida est saepiusque adeo nervosa, sane multo ornatu splendet, sed, ut talia haud raro placeant vel saltem ferantur, tamen nimis multa obstant, quominus totum dicendi genus laudare possis. Fines enim certos servare scriptoris vigor nescit, immo quoquo versus ultra modum luxuriat adeoque lascivit, maximeque duplici vitiorum genere, quorum ab altero ad alterum defertur, laborat: aut enim scriptor nimis neglegens est, ut socordem incuriosumque elegantiae eum nomines, aut modum excedit elegantiam nimis studiose quaerendo.

Atque priore quidem loco ponimus, quod per omnes fere Metam. libros (excepta fortasse nobili ista fabula de Cupidine et Psyche, neque tamen ea omni — praetereaque extremi libri maiore parte) sermonem vulgarem invenimus: paene quocumque spectaveris de comicis recor-

daberis, idem ostendit copia vocabulorum, quae permulta aut Apuleio soli aut perpaucis praeter eum cum comicis communia sunt, ostendit saepe vocabulorum minus usitata forma liberiorque in immutanda significatione usus, qua in re praesertim animadvertere licet Apuleium persaepe vocabula vel totas loquendi formulas, quae proprie pertineant ad rem militarem vel ad iudiciorum usum, ad alias res transferre, eodemque cadit proverbiorum haud infrequens usus. Multaque etiam nova verba, quae vel primus finxit Apuleius vel solus usurpat, sermonem istum vulgarem redolent. Sed principem in his locum sibi postulant formae deminutivae, quibus tam prolixe tamque effuse indulget Apuleius, ut Catullum adeo exsuperans, hac sola re se praestet studiosissimum comicorum sectatorem. — Accedit, quod etiam in verbis recte construendis componendisque enuntiatis haud raro Apuleius praecepta grammaticorum non satis anxius curat, eaque, quae non diserte neglegentiae tribuere possumus, certe comprobant, eum emendati urbanique sermonis nondum prorsus gnarum fuisse; atque profecto multa sunt, in quibus dicendum erit, Apuleium latinae linguae proprietatem nondum satis percepisse ideoque errasse tum in eligendis tum in componendis vocabulis.

Quae praeter ista observantur, propius iam ad ea accedunt, quibus secundum locum attribueram, quippe unde Apuleius magis cernatur elegantiae subinde nimius affectator. Quo quamvis multa iam prius commemorata referri queant — saepius enim in tali quaestione fit, ut eadem res ad utramque partem pertineat — tamen hic quoque ex potiore fiat denominatio. Itaque ante omnia mentionem facio tantae vocabulorum copiae, quae scriptor petiit ex antiquis linguae latinae monumentis, dico „archaismos" quos grammatici vocant. Eorum tantam apud eum invenis multitudinem, ut facile appareat, quantopere ei in deliciis fuerint, utque intelligas, qui fieri potuerit, ut librarii de suis in Apuleii libros haud pauca id genus ingerere atque intrudere conati sint. — Deinde vero multa in Apuleii libris ad poetarum dicendi morem proxime accedunt, non solum vocabula ipsa eorumque formae, sed etiam translati significatus structuraeque satis multa exempla. Nec vero ista poetica loquendi consuetudo tantum in singulis vocibus apparet, immo multi loci eique haud parvi ambitus, tota capita poeticum quendam prae se ferunt colorem, id quod praecipue observare licet in singulorum librorum exordiis (dico autem Metamorphoseon libros), dein ubi auctor diei vel anni tempora vicissitudinesque venuste atque, si licet verbo uti, graphice describit, ubi pretiosarum rerum, ornamentorum summa cum arte confectorum, domus opulentae, similium imaginem delineat, quippe ubi ipsa argumenta auctorem efferant, maioresque ei addant spiritus. Neque in Apologia desiderabis talia, sed cum rarius tum moderatius ea prolata sunt, qualem iam indicavi totius libri naturam. De reliquis vero libris vix est, quod hoc nomine loquar: talia indaganti perpauca se praebent et quibus vix delecteris. Sed in hac potissimum re etiam vitium cernitur, quo Metam. libri prae ceteris premuntur, quodque ne in Apologia quidem scriptor prorsus vitavit. Una enim cum subacto iudicio deest ea, quam Cicero iure tanti facit, orationis lenitas atque aequabilitas: modo iuvenili ardore fertur, modo ad neglegentiam usque remissus est, insuper non addita plerumque satis iusta, qua tam subitus transitus comprobetur et declaretur, causa. Multi sunt loci, quibus vigorem venustatemque non abrogaveris, sed hos nimis saepe excipiunt alii, qui ostendant auctorem neque intelligenti iudicio neque moderatione satis instructum. Aut enim

illi, de qua dixi, neglegentiae nimis se dat, aut elegantiae immodico interdumque paene nullius consilii studio offendit.

Huc referenda sunt, quae sub finem nomino: gaudet scriptor vocabulorum non copia,[1] sed importuna mole congerenda amplificandaque oratione vim quandam et splendorem sermoni addere studet. Huic vitio simile subiiciam ex eodem potissimum fonte, sermone vulgari comicorumque loquendi more, profectum: nimis multa vividi ingenii lusibus concedit; haec gravissima est causa, cur Apuleius, ut alii quoque ante eum, deminutivorum usum tantopere frequentet, huc deinde cadit, quod summe delectatur vocabula varii quidem etiamque contrarii significatus, sed consona connectendo, hunc scilicet „lepidum susurrum" intelligens. Utque concedamus tales annominationes subinde facetas esse, tamen Apuleius fines, qui quidem in his non satis anxie servari possunt, neque semel neque moderate excessit, quodque Hildebrandus in eum de deminutivorum abusu verissime dixit id huc quoque saepius cadit; tantum abest, ut audientes oblectet, ut offensionem et subinde adeo taedium moveat.

Illa omnia, quae de Apuleii elocutione protulimus, si in summam quandam contraxeris, iudicium de eo in universum fere tale repetes. Apuleius tota indole sua abductus a tenui illo dicendi genere splendorem amplitudinemque ante omnia quaerit: vivida saepiusque magnifica eius oratio fluit neque largas verborum copias neque ullum ornatum spernens. Etiam pulchri atque elegantiae sensu aliquo, sed tamen sensu tantum, praeditus est itaque in quaerendis talibus rebus multam sane operam collocavit. Sed quominus haec omnia laude dignam progignant dictionem, nimis multa obstant. Primum nimius quo agitatur ardor, dein ipsa auctoris iuventus, per quam nondum ei licuit dictionem satis perpolire atque emendare pulchrique sensum ad subactum rectumque iudicium excolere. Tertio denique loco neglegentiam ponimus, in quam scriptor enarratione nimis commode saepiusque nimis celeriter defluente haud raro delabitur. Sed haec tantum, ut iam dixi, in Metamorphoseon libros cadunt; apologia contra declarat, bonam quandam indolem, cuius vestigia ne illic quidem desideras, industria atque exercitatione optime excultam atque provectam esse. Itaque illa vitia, etsi non prorsus evanescunt, tamen magis magisque recedunt, quaeque iam illic placere poterant ea, ut multa laude digna fiant, auctor moderatione et recto iudicio effecit, idque assecutus est, ut, quum prius dictio a tribus illis virtutibus, quas Quintilianus in omni oratione deposcit — „ut emendata, ut dilucida, ut ornata sit" — ab illis igitur multifariam fuisset aliena, iam ad eas proxime accesserit.

Jam vero quoniam omnia prolata sunt, quibus Apuleii elocutionem in universum describere conatus sum, ad singula libet descendere atque e scriptoris libris exempla afferre, quibus, quae in universum disputata sunt, comprobentur et illustrentur. Qua in re ordior a c o p i a v o c a b u l o r u m, ut a totius quaestionis fundamento, utque quam artissime ad ea, quae supra posuimus, me applicem, hunc instituam disputationis ordinem. Primum locum obtinebunt ea vocabula, q u a e a p u d s o l u m A p u l e i u m e x t a n t, sequentur ea, quae auctor e v e t e r u m u s u sibi vindicavit; in his desiderabuntur quidem v o c e s P l a u t i n a e, sed nolui eas una cum ceteris veterum linguae exemplis enumerare, immo satius mihi visum est, de eis suo singillatim loco — proxime post cetera veteris linguae exempla — agere, quippe quorum

usum Apuleius tantopere frequentet. Eademque causa permotus his voces deminutivas subiicere constitui. Succedent voces e vetustiore quidem lingua depromtae, sed etiam recentiorum usu frequentatae, deinde ea quae praeter Apuleium soli recentiores habent. Jam per totum illorum numerum sane haud pauca erunt Afrorum propria: de quibus mihi antea seorsim agere in animo erat, sed veritus ne isto modo totius disputationis ordo nimis turbaretur, praetuli ea, ubicunque inveniuntur, asterisco (*) notare Denique post illa opportune mentio fieri poterit eorum, quae quam libenter Apuleius e *poëtarum copia* sua delegerit, demonstrant.

Ita absolutis, quae proprie ad vocabulorum copiam pertinent, pergere licebit ad tractanda ea, quae huc referri possunt, si quidem vocem istam *latiore significatu* intelligimus. Itaque dicendum erit de vocabulorum *formis*, postea de eorum *significatione*, in qua vel immutanda vel transferenda magna quaedam cernitur elocutionis Apuleianae proprietas; postremo loco addam eas, quae enumeratione dignae visae erunt loquendi formulas*).

Vocabula soli Apuleio usitata.

Nomina substantiva: allubentia 1. p. 105. de incipiente hilaritate dictum, vox ab Hildebrando satis comprobata. *furatrina* idem quod furtum 6. p. 178; 10. p. 245; translato significatu de *adulterio* 8. p. 202; *rupina*, de hiatu sive specu rupibus effecto. Sequitur vox valde incertae sedis *affaniae*, de qua copiose exposuit Doederlinus Syn. Tom. 3. num. 88; Hildebr. eam vocem si non spuriam certe valde dubiam habet, quamvis apud Apuleium bis (9. p. 221; 10. p. 243.) extet codicum auctoritate firmata; *irascentia* dogm. Plat. p. 9 et 11; *honoripeta* ib. 2. p. 19. de homine ambitioso.

Multo plura reperiuntur secundae declinationis vocabula statimque animadvertes Apuleium duas terminationes praecipue amasse; itaque plurima extant, quae habent terminationem *-mentum*, multa quae in syllabas *-culum* exeunt. Illa subiicio haec: *nugamenta* i. q. nugae 1. p. 113. *anteoantamentum* 11. p. 261. *protrimentum*, cuius vocis sensum optime reddit Francogallorum v. quae est „haché"; *dissimulamentum* flor. 1. p. 341. mag. p. 329. utroque loco idem significat atque dissimulatio, id est ipsam dissimulandi actionem, non id quo quis utitur ad illam, et utrobique excipitur vv. deridiculi causa; *exercitamentum* i. q. exercitatio flor. 2. p 351; *obiectamentum* i. q. exprobratio mag. p. 279. *concrementum* mag. p. 306. *agnomentum* ib. p. 340; *illectamentum* mag. p 335, ib. p. 338. *rogamentum* i. q. rogatio dogm. Plat 3. p. 31; flor. 4. p. 363. *moramentum*. — Alterius generis enotavi haec: *demeaculum* et *remeaculum* 6. p. 174. de viis aditum ad inferos reditumque inde praebentibus; *temperaculum* flor. 3 p. 342. de arte fabricaque, qua quid elaboratum est; *sectaculum* de maiorum serie 5. p. 165; quam quidem vocem Hild. primae declinationi tribuit locum exhibens „qualis maritus et unde natalium sectacula proveniret," vocum matercula, sucula, nubi-

*) Ceterum in laudandis Apuleii locis usus sum numeris editionis Elmenhorstianae, quos et ipse Hildebrandus utriusque editionis margini apposuit uncis rectangulis inclusos; subinde etiam capita librorum ascripsi Hildebrandum secutus, qui primus hoc fecit. Ubi libri nomen deest, semper velim de Metamorphoseon libris agi scias; denique maximam partem contentus fui aliorum scriptorum sola nomina proferre singulis locis non additis; neque enim istius operae magnum fore usum putabam et confidebam lecturos tantum meae curae tributuros esse.

cula nixus analogia. Sed ipse in editione minore scribit „provenirent" quae scriptura mihi quoque, ut multo simplicior placet; mag. p. 310. *memoraculum*, idem fere quod nota, signum, mag p. 315. *occursaculum*, quam vocem Apuleius usurpat in enumerandis specierum variis generibus; *reverticulum* i. q. reditus, 3. p. 134, flor. 4. p. 361. Sequuntur alia: flor. 3 p. 353. *natabulum* et *medicabulum*, voces de balneis dictae, *parciloquium* 5. p. 164; *capillitium* 2. p. 115 (quae vox praeterea semel extat ap. Celsum, sed valde dubitata) *nidificium* 8. p. 219 non de nidi fabrica, sed de illo ipso; *avitium* i. q. avium genus de D. Socrat. prol. *fragium* 9 p. 227, quae scriptura offensionem quidem non fugit, tamen proba visa est; quum enim libri exhibeant „uxor..... crurum *eius* (mariti supervenientis) fragium abominata" nonnulli vocem compositam tmesi diremtam contenderunt, quod quominus credatur formae pluralis *crurum* et genetivi eius, optimorum librorum consensu firmatae, nimis obstant. *Babulus* 4. p. 149, quam vocem in linguae latinae thesauris desideratam Hildebr. ad l. c. docte defendit; optime enim convenit in promtam latronis temerarii audaciam; *funerepus* flor. 1 p. 342, 3. p. 354; significanter dictum de funambulo; *cavillus* 2. p. 123; cui vocabulo terminationem *-um* tribuunt Aurel. Vict., Paul. Diac.

Pergo ad *tertiae declinationis* nomina substantiva. *Invisor* i. q. obtrectator flor. 1. p. 345; *commeator* 11 p. 262; mag. p. 315 Mercurii cognomen; *modificator* flor. 1. p. 342. (modificandi verbum Cicero saepius habet, vox „modificatio" haud ita raro extat apud argenteae latinitatis auctores velut Senecam, Gellium) *nuncupator* 3 p. 352 (Pythagoras primus philosophiae nuncupator); *emasculator* mag. p. 310 i. q. paedicator. *complanator* et *converritor*, mag. p. 277 in versibus Apuleianis de dentium, „mundicinis" quas ipse ibidem appellat; *depector* mag. p. 321, qui pactum fecit (v. *pactor* semel ap. Cicer. extat, *compecto* ap. Livium legitur, *depectus* participii deponentis forma semel reperitur ap. Ictos sed alio sensu eum denotans, qui turpiter pactus est); *degulator* mag. p. 322. i. q. helluo (*degulare* legitur ap. veter. poet. *degulatus* i. q. gulae deditus in Plauti fragmento); *praestitor* Ascl. p. 92; *tuor* de visus sensu d. D. Socr. p. 48. Subiicio duo sermonis vulgaris vocabula: *mugo* 5. p. 172 in. et med.; *vulpio* mag. p. 328 de homine versuto callidoque. Restant voces *tendor* i. q. contentio 3. p. 141; *rudor* i. q. ruditus flor. 3 p. 357 ex. de tubae sono; mund. p. 65. de sono terrae motum indicante (ita enim v. odoris, quae antea legebatur, Woverius recte emendavit). — Addo aliud: mag. p. 296. legimus *piscis accipiter*, quam vocem lexica non habent; veri haud absimile est, Apuleium hanc vocem, ut saepius, e vocabulo q. e. acipenser finxisse, soni similitudine adductum seu potius deceptum.

Sequuntur voces terminationis *-io: vegetatio* 1. p. 102. i. q. concitatio; *famulatio* 2. p. 115; 6 p. 176. de servorum ministrorumque familia; *detestatio* 7. p. 198. prorsus singulari usu, ut significet castrationem; cuius vocabuli communis sensus cum Apuleio haudquaquam ignotus sit, illo testimonio optime intelligere possumus, quam temerariae licentiae Apuleius etiam in fingendis vocabulis se dediderit; *tubilatio* 8. p. 209. de canum acriter persequentium ululatu (formam *tubilum* habent Sil. et Calpurn., *iubilandi* verbo Varro utitur); *runatio* mag. p. 310. de rei rusticae administratione, mund. p. 61. *obolitio*, Forcellinus: „al. leg. abolitio"; *marmoratio*, *columnatio* flor. 4. p. 450.; ibid. p. 360. *penetratio*; d. D. Socr. p. 50. *vagatio*; mund. p. 65. *pavitatio*, de terrae motu; ib. p 73. *proluvio* de inundatione Ascl. p. 81. *irreligio*, *in*-

ordinatio; *procatio* mag. p. 320. singulare sane vocabulum de nuptias conciliaturo dictum. Addo v. *ambitudo* Ascl. p. 95., de tempore ambitus siderum; v. *unguedo* 2. p. 138. i. q. unguentum (eiusdem significatus forma *unctum* 3. p. 139. praeterea semel ap. Veget. extat.).

Ascl. p. 7. *restitutrix*, de D. Socr. p. 66. *inductrix* de muliere fallaci dictum; *ducatrix* dogm. Plat. p. 14. *diiudicatrix* ib. p. 15., *repertrix* mag. p. 285. *Obaequalitas* d. Plat. p. 11. quam vocem lexica non habent; *incommobilitas* ib. p. 14; *irrationabilitas* Ascl. p. 81. de eo, quod rationis expers est; *fuscitas* mund. p. 73. Succedant voces terminationis *-men*, quam cum vetustioribus atque Ovidio etiam Apuleium valde amasse permulta ostendunt exempla; neque enim pauca id genus vocabula solus Apuleius habet, et multo plura ei communia sunt cum aliis; eademque res observari potest in vocibus terminatione *-mentum* et *-us* quartae declinationis exeuntibus. Sed redeo ad tertiae declinationis neutra. *Sulcamen* i q. sulcus 6. p. 174; *vitramen* i. q. vitrum ibid. p. 179. *coronamen* 11. p. 261. *afflamen* i. q. afflatus 11. p. 260; 272 ex. *dolamen, sepimen* flor. 1. p. 340 (quae ibidem extant vv. libamen, unguen saepius leguntur apud poetas inde a Vergilio); *formidamen* mag. p. 315. i. q. terribilis nocturnaque mortui species. — Subiicio voc. *cluden* mag. 324., de qua docti ambigunt, variam afferentes lectionem „*clunaculo*", quae vox sape ap. Gellium 10, 25. legitur; sed praestat cluden. Doederl. l. c. tom. VI, num. 68. derivat a Graecorum voce qu. e. κλάδος. — Opportunum ratus locum addo, quod mag. p. 306. legitur: „quae tabes si *foras corporis* prospiravit"; iam cum v. „foras" verbi „prospiravit" obiectum esse per sensum nequeat, optio conceditur, utrum Apuleius, Graecorum θύρας ante oculos habuerit, an neglegenter scripserit; quorum quidem prius mihi longe videtur praestare. Forcell. vertit ἐκτὸς τοῦ σώματος, additque semel praeterea v. foras extare casu quarto ap. Hieron. in Matth. 27. 2.

Transeo ad enumeranda *quartae declinationis* substantiva, quorum usum cum reliqui argenteae latinitatis auctores tum Apuleius ita frequentat, ut omnes alias nominum verborumque formas illorum numerus longe exsuperet. Ex omnium multitudine hoc loco proferam quae soli Apuleio sunt in usu haec: *matronatus* 4. p. 153. i. q. matronae habitus; quod Oudend. quidem e compendio vv. *matronae ornatus* ortum affirmat; sed cum tanta sit talium formarum apud Apuleium multitudo, mihi non satis persuasit; *insutus* 7. p. 189. *sacrificatus* 7. p. 192. *potatus* (quae quidem vox praeterea semel reperitur apud Senec. contr. 2, 9, ita tamen, ut alii legant „nepotatus") *inscensus* 7. p. 194, *inspersus* ibid. et 9. p. 231; *prosectus* 8. p. 203, 214; *cavillatus* 8. p. 213; *ruditus* 8. p. 215 *repertus* 11. p. 257, p. 262, flor. 1. p. 341; *oppexus* i. q. capillus sollerter comptus 11. p. 261. *adhortatus* mag. p. 338. *elaboratus* flor. 1. p. 446; *volutus* ib. 2. p. 348. *effigiatus, separatus* ib. 2. p. 350, *locutus* ib 2. p. 352. *possessus* mag. p. 282. *demersus* ib. p. 287, *communicatus* d. D. Socr. p. 44. Unum inveni *quintae* declinationis vocabulum *crassities* 7. p. 189., cuius altera forma *crassitas* legitur mund. p. 65.

Atque haec quidem hactenus. Iam pergendum erit ad proferenda nomina *adiectiva*, in quibus principem locum obtineant adiectiva in *-bundus* exeuntia, ut haud raro apud scriptorem obvia. Enotavi haec: *rimabundus* 2. p. 116; de D. Socr. p. 72; *gaudibundus* 8. p. 201; *imaginabundus* sequente accusativo obiecti 3. p. 129; *periclitabundus* sq. genetivo 3. p. 138, 5. p. 168, cum accusativo mag. p. 320; *munerabundus* 11. p. 265; *auxiliabundus* d. D. Socr. p. 48; *certabundus* mag. p. 287; *excusabundus* ib. p. 324; *spumabundus* ib. p. 303. epitheton hominis comitiali

morbo vexati. Addo v. *spumidus* de tabe et humore pestilento dictam, cuius altera forma „spumans" saepius extat apud augusteae argenteaeque aetatis poetas. Sequuntur alia: *gemmosus* 5. p. 162, de monili dictum; *glebulentus* d. D. Socr. p. 46; *iussulentus* (piscis) mag. p. 299 (iurulentus semel ap Celsum legitur); *indigenus* 1. c. 1; *peregregius* mag. p. 298; *inconnivus* i. q. non connivens 2. p. 124. de oculis, 6. p. 179 de vigilia; *illunius*, cui lunae lumen non offunditur 4. p. 150, 9. p. 232. ab Hildebr. ex libris mss. atque ex analogia satis defensum („illunis" formam Cic. et Plin. habent); *illuminus* 6. p. 174; *totjugus* s. *totjugis* i. q. tam multiplex, vox saepe apud scriptorem obvia flor. 1. p. 346; 2. p. 352; 4. p. 360; mag. p. 310, alibi; *terjugus* i. q. triplex met. 6, 181.; *sudorus* i. q. sudans flor. 3. 354; *exartus* i. q. perquam artus, quae vox abest a lexicis, sed ab Hildebrando, qui augendi vim in praepositione „ex" pluribus exemplis illustrat, analogia et codicum consensu satis comprobatur; *flammidus* 11. p. 258. d. D. Socr. 45, 47, mund. p. 66; *relicinus* (Marsyas comâ relicinus flor. 1. p. 341; frons relicina ib. 344.) de eo, quod retrorsum flectitur; *invinius* i. q. abstemius 11. p. 268; *instudiosus* mag. p. 299; *invidens* serpentis caeci cognomen ib., quae vox desideratur in lexicis; *incontatus* i. q. festinans 5 p. 165; *incredendus* 2. p. 120; mag. p. 304. *impoenitendus* met. 11. p. 271. *poscinummius* 10. p. 249., de meretricum basiis, vox aperte comicorum sermonem prodens, velut Martialis dicit „poscentem nummos"; quae adiecta est vox „negantinummius s. negotinummius", valde incerta est, proximeque ad veritatem accedit, totum locum non Apuleii esse „sed docti cuiusdam et lascivi interpolatoris". Sequitur v. *multiscius* flor. p. 341., p. 346, 360, mag. p. 294.; *insuticius* met. 7. p. 189. *illutibarbus* flor. 1. p. 341; *omnicanus* ib. p. 349, *voluptificus* ib. 2. p. 348. *expergificus*, *obstreperus* s. *obstreporus*, *gemulus* ib. p. 349; v. *antius* (flor. 1. p. 342, crines eius praemulsis antiis et promulsis caproneis anteventuli et propenduli) Forcell non habet; quid significet, satis apparet e loco, quem ascripsi tumido et inflato, et fortasse e graeco fonte ἀντίος petitum est; *cernulus* 9. p. 235. de eo, qui praeceps ac pronus devolvitur velut petaurista; forma *cernuus* haud rara est.

Pergo ad *tertiae declinationis* adiectiva, utque antea feci, congrego ea, quae syllabis *-bilis* terminantur; nam eorum quoque haud exiguam multitudinem libri Apuleiani ostendunt: *Eiulabilis* clamor 4. p. 143., quod vocabulum quamvis Forcell. non habeat, tamen nititur multorum eorumque bonorum codicum consensu firmaturque analogia v. „ululabilis", quod bis apud Apuleium extat (5. p. 161.; 10. p. 240.) idemque bis apud Ammianum; *multiforabilis* (tibia) 10. p. 254., cuius altera forma est *multiforatilis* flor. 1. p. 341.; *nutabilis* de caduco et labante suggestu d. D. Socr. p. 44; *cachinnabilis* (risus) 3, 132; *famigerabilis* i. q. famosus, vox saepius obvia 1. p. 105.; 2. p. 124; 9. p. 219.; 10. p. 247; *naturabilis* prorsus idem q. naturalis flor. 2. p. 352., d. Plat. p. 19.; *inoptabilis* 9. p. 222.; *irremunerabilis* 11. p. 269. *improcreabilis* dogm. Plat. p. 3. Similes formas subiicio hasce: *confixilis* 4. p. 148. de eo, quod componi committique potest; *pictilis* 10. p. 248; *locutilis* (facundia) 11. p. 258., quam vocem Hild. retinet cum codicibus contra reiiciens v. „elocutilis", quae et ipsa nusquam alibi legitur; sensui brevior forma prorsus satisfacit. *Coronalis* (Medeae flamma) 1. p. 106; *spontalis* i. q. spontaneus 4. p. 177., 11. p. 272., *gaudialis* 8. p. 250., 11. p. 272. *Medullaris* (dolor) 7. p. 195., *lenticularis* i. q. lentis formam ostendit flor. 1. p. 345.; *lupanaria* 9. p. 229. *Inenormis* i. q. normam non excedit 2. p. 115.; *semestris* 10. p. 269., sed de mensis tantum dimidia parte, velut semel ap. Columellam extat v. „semestrium" idem significans; *multinominis* Dea appellatur

Isis 11. p. 268, quod vocabulum quum lexica non habeant, facile adducimur, ut credamus, duabus vocibus Opae epitheton efferri. Sed contra pugnat locus Asclep. p. 88. „hunc *immanitem* vel potius *omninominem* nuncupari“, quae voces quamvis frustra in lexicis quaerantur, tamen verisimillimum est, Apuleium talia sibi finxisse, cui quantopere singularis vocabulorum conformatio placeat, hoc quoque exemplum luculenter ostendit. Flor. 3. p. 353. legitur: *deincipiti* die, quam vocem iam veteres a „capiendi“ verbo derivasse diserte testatur Paul. Diac. „deincipem antiqui dicebant proxime quemque captum“ et deinceps, „qui deinde coepit, ut princeps, qui primum coepit“. Iam veterem vocem „praeceps“ duplicem habuisse flexionem, apparet ex Plauti Enniique locis a Forcell. allatis: habet enim „praecipes“ casu recto, quarto „praecipem“. Itaque vetustiorem deprehendas errorem, nisi mavis mecum hac voce uti in testimonium eorum, quae supra dixi, Apuleium latinae linguae proprietatem nondum satis habuisse perspectam atque idcirco contra formationis leges peccasse. — Postremo loco addantur quae extant 10. p. 249. *appliciore nexu*, cuius in locum, quamvis Forcell. substituat vv. „applicatiore nexu“, tamen priorem lectionem cum plerisque editoribus pro vera accipere non dubitavi, quippe quae constanti librorum usu commendetur.

His absolutis priusquam ad enumeranda adverbia pergam, paucas *participiorum* formas proferre constitui, veritus ne interpositis adverbiis nimis longe relegarentur. Sunt igitur haec: *punicans* v. eundem denotans colorem atque v. puniceus poetis satis usitata Metam. 1. p. 105.; 3. p. 129; 4. p. 143.; *illubricans* 2. p. 117. de membris lascive atque lubrico gestu motis; *decitans* 2. p. 116. de eo, quod efficit ut alqd labatur; *claricantes* ignes mund. p. 63., quam vocem a Forcell. non receptam Hildebr. mihi satis cum librorum auctoritate tum analogia defendit. *Excuneatus* flor. 3. p. 353. dicitur, qui in theatro sede sua cedere coactus est; *corniculata* appellatur luna d. D. Socr. p. 44., cuius vocis tantummodo formam alteram, corniculans Forcell. agnoscit, quam quidem Solinus quoque et Ammianus habent, „de luna, cum primum a sole emergit“; *musicatus* Ascl. p. 81., quam quidem vocem variae lectioni „inusitatae“ praefero; *uigoratus* 9. p. 227. acris strenuique adolescentis cognomen; *interseminatus* et *interspersus* mag. p. 292.; *proliquatus* i. q. liquefactus ib. p. 283. *promulsus* et *praemulsus* flor. 1. p. 342, de quo loco iam supra dictum est (cf. v. antius. p. 9.); neutrum vocabulum Forcell. habet; sed non obscurum est, quid significent, nempe anteriores capillos leniter in frontem versus pexos. Ceterum de toto loco copiose atque docte Oudend. ap. Hildebr. et ille ipse disseruere. *Exobrutus* 9. p. 219., cuius v. significatum Apuleius neque leviter neque parva cum licentia commutavit. Sermo enim est de dolio araneis obsito, in quod deceptus maritus irrepsit purgare iussus; idque dolium dicitur „exobrutum“ quum *eiiciantur* ea, quibus *obrutum* est.

Sequuntur *adverbia*; frequentissimus illorum usus est, eaque prae multis ostendunt, quam libenter Apuleius e sermone vulgari hauserit, id quod iam Priscianus testatur (XIV. p. 1010.) multa enumerans adverbia in -ter exeuntia, ut istius sermonis exempla. Sed ex proposito videamus, quae eorum sint soli Apuleio propria. *Ultime* (1. p. 105.; 10. p. 250.) translato, quem adiectivum saepius habet, significatu, ut summa actionis instantia atque ardor insit; *supplicue* 9. p. 236.; 11. p. 269. (adiectivi forma „supplicuus“ non extat); *praefiscine* i. e. „averso omine dixerim“ flor. p. 356., quam vocem lexica non habent. *Proximo* 1. p. 103.; *rarissimo* 5. p. 163; *matutino* 5. p. 166; 7. p. 198; *antelucio* i. q. ante lucem 1. p. 107; 9. p. 223; *antelu-*

cula 1. p. 108. (adiect. forma „antelucanus“ aliis quoque frequens est); *meritissimo* flor. 4. num. 17; addo vocem *nec dubio* eodem prorsus significatu atque „sine dubio“ 9. p. 218; *puncto* 2. p. 116. i. q. illico, confestim, de qua voce sane ut de ea, quam proxime protuli, dubito, num adverbiis adnumerari possit; nam saepe alibi obvia est, semperque ita, ut adiuncta sit v. „temporis“ aliave id genus genitivi forma. Sequitur v. *ambifariam* flor. 4. p. 360; mag. p. 260; *circumsecus* 2. p. 121; 5. p. 166; 11. p. 264. Formas in syllabam -*ter* exeuntes deprehendi has: *cruenter* 3. p. 130; *lugubriter* 3. p. 132; *ignorabiliter* 3. p. 137; (adiectivum haud infrequens est), *pallenter* 4. p. 150; *fastidienter* 5. p. 166; (forma „fastidiliter“ utitur Varr. ap. Non.); *violenter* 6. p. 178; *esurienter* 10. p. 246; *inextricabiliter* 11. p. 269, (adiect. extat ap. Verg. Sil. Plin.); *ociter*, quam formam duobus Metamorphoseon locis vindicat Hildebr.; *futiliter* mag. p. 275, cui loco Forcell. addi iubet Nonii locum 11. p. 30.

Bacchatim 1. p. 108; *fartim* 2. p. 117; 3. p. 130; *pressim* 2. p. 121, p. 128; *pau-dulatim* 2. p. 121; 5. p. 167; *fistulatim* 4. p. 144; *aggeratim* ibid. p. 146; *granatim* 6. p. 177; *laciniatim* 8. p. 208; *capreolatim* 11. p. 268 (sermo est de mysteriis et de „libris litteris ignorabilibus praenotatis . . . nodosis et in modum rotae tortuosis capreolatimque condensis apicibus a curiosa profanorum lectione munitis“). Apertum est, adverbium significare reflexos arteque inter se connexos apices, explicaturque vocis „capreolus“ translato usu. *Reflexim* dogm. Plat. p. 3; *cunctim* et *concervatim* flor. 2. p. 347; *congestim* mag. p. 296.

Subiicio *adiectivi formas neutras*, quibus *adverbiorum* vim tribuit Apuleius; huc jam referri possunt, quae modo supra protuli vocali -o terminata, sed ea, quae enumeraturus sum, ostendunt Apuleium poetarum amatorem graecique sermonis imitatorem. *Infimum* deiectus 1. p. 107; *modicum* 2. p. 121; 6. p. 180; 8. p. 211; (quam supra posui v. „*modico*“ ei semper adiuncta est comparativus vel similis forma v. c. deinde) *prolixum* 8. p. 205; *obliquum* respiciens 3. p. 140. *Alterna* connivens 10. p. 247 cf. Hand. Turs. 1. p. 281; praeterea solus Vergil. habet vocem „alternis dicetis, amant alterna Camenae“ ubi apparet intelligendum esse accusativum obiecti, quum apud Apul. cogitari nequeat nisi de adverbio. Plumae *inquieta* lasciviunt 5. p. 168; *exitiabile* renidens 6. p. 179; *mite* conniventibus oculis gestire 10. p. 255 in. Alia id genus vocabula v. c. dulce, suave, maximum, crebra aliorum quoque praecipue poetarum usu extant.

Sequuntur verba: *appronare* 1. p. 110 de eo, qui pronus ad terram flectitur; *infimare* i. q. infimo loco aliquem ponere 1. p. 106; *succubare*, cui verbo dandi casus adiunctus est 1. p. 107, accusativus contra 9. p. 229; *deflammare* i. q. restinguere 5. p. 172; *morsitare* (cuius verbi terminationem „care“ Forcell praefert) de lascivientium oculis dictum 2. p. 118 et 7. p. 197 de asino, qui „imaginem savii mentiendo ore improbo compulsat ac morsitat.“ *susceptare* non alio atque vb. suscipere sensu 2. p. 128; *attolerare* 2. p. 116 i. q. sursum efferre; *turbulentare* i. q. turbulentum reddere 2. p. 120; 9. p. 222; *ejulare* 3. p. 129, p. 132, cuius verbi obiectum est pronominis reflexivi forma, 4. p. 153, fortunas; *horripilare* 5. p. 132 (substantivum „horripilatio“ legitur Vulg. eccl. 27. p. 15; *adsuspirare* 4. p. 153, p. 154; *splendicare* idem quod splendere 5. p. 162, 7. p. 191; sed *splendidare* i. q. splendidum reddere mag. p. 399. *alumnari* vb. deponens 8. p. 209; activam formam eodem nutriendi sensu bis habet Apul. 6. p. 183, 10. p. 249 ex. semel Marc. Cap.; *comminare* 7. p. 192; („minare“ quod recentiores saepius habent de pecore

pascentibus etiam apud Apul. extat 3. p. 140; 8. p. 216; *curitare* verbum q. d. frequentativum 7. p. 194; *columidare* 8. p. 205, *liciniare* 10. p. 254, quod verbum, quum lexica non habeant, suspicari possumus Apuleium scripsisse „delineare", quod quidem verbum loci sensui satisfacit; *circumrorare* i. q. undique inspergere 11. p. 268. *Discapedinare* flor. 1. p. 341 de distentis tibicinum manibus digitisque; *robiginare* ib. 3. p. 357 i. q. robigine confici; *captitare* de D. Socr. p. 52. (id verbum Gell. 9, 6. inter multa frequentativorum exempla affert); *anilitari* vb. deponens de mund. p. 67: auctor enim verbis „terram seculis non anilitari" reddit Aristotelis haec „τὴν ἀγήρω φύσιν ἀεὶ τηρεῖ"; *prospirare* mag. p. 306. de morbo, qui exhalato odore tanquam flos praesentitur; *verbigerare* ib. p. 321 de concinnantibus sermones; *extraheare* ib. p. 335. idem fere significans, quod vb. exheredare. Id Hildebr. in textum recepit „quia doctius videbatur, quam quod librario tribui possit." Argumentum apud Apuleium profecto non leve, qui quantopere doctiora et exquisitiora affectet, iam dictum est. Accedit aliud; legunt enim alii „exterminare" eodem sensu, quem tamen illud verbum nunquam praeterea habet, cum significet eum, qui prae consternatione demens factus est. Ita cum artificiosiore opus fiat translatione simpliciorem illam praefero.

Quae reliquas sequuntur declinationes multo pauciora verba repperi facileque observamus, Apuleium non in his modo in universum verborum q. d. derivata s. frequentativorum, causativorum reliquorum id genus usum prae simplicibus frequentasse, qua re et ad omnium argenteae latinitatis auctorum et ad vetustiorum quorundam v. c. Sallustii consuetudinem accedit. — Sed promam, quae commemoranda videbantur. *Antepollere* 1. p. 104; 7. p. 198. idem quod superare, antecellere. *Replaudere* de eiulantis miserabili gestu qui „dextra saeviente frontem replaudit" 1. p. 105. et de asino „equestri celeritate solum replaudente 6. p. 185; *intollere* verbi simplicis sensu 8. p. 216. *Obtinnire*, vb. neutr. mag. p. 305 „ecquid mulieri aures obtinnirent"; *intergarrire* ibid. p. 284 (cuius altera forma a nonnullis legitur *interganire*) „pauculis verbis intergarritis" Forcellino non cognitum.

Particulae.

Paucissimas tantum, quae quidem mihi innotuerunt, proferam hasce: *prohinc* i. q. igitur, ter obvia Met. 3 p. 133, 5. p. 159, 11. p. 270; *exhinc* eodem fere sensu atque v. deinde 11. p. 269 (quam vocem tribuit Forcell. Suetonio quoque (Tib. 9.) et Lucretio (3. vs. 161); illic tamen alii legunt „exin" hic Lachmannus „exim." Forma „dehinc" multorum usu frequentatur. Mag. p. 318 legitur vox „*eoad* dum" „mirifica forma, si lectio vera est" (sunt Handii verba ad Tursell.); quae quamvis in lexica non recepta sit, ab Hildebrando tamen agnoscitur. Ac sane multa id genus in Apuleium cadere possunt; sed cum levissima mutatione v. quoad scribi possit, quae quidem etiam apud optimos pedestris orationis scriptores saepe demonstrativa significatione effertur, illam praetuli.

Denique commemoro singularem solique Apuleio proprium vv. *incoram* usum, quater enim (7. p. 197; 9. p. 221, p. 223; 10. p. 243) illas sequitur casus genetivus, ita ut Apul. v. coram videatur habuisse pro forma accusativi v. „cora"; semel (met. 10. p. 249) absolute positum est.

Vetustioris linguae specimina.

Substantivorum mentio facienda erit horum: *Prosapia* i. q. genus, stirps, origo vox apud scriptorem saepius obvia: Met. 1. cap. 1; 3. p. 134; 8. p. 201; 9. p. 283; 10. p. 247; de D. Socr. p. 55; praeterea Lucretii est vocabulum; *cursura* idem q. cursus de D. Socr. p. 54, vox apud Plautum et Varronem haud rara; *dividia* mag. p. 292., vox forma sua perspicue reddens significatum, qui est „cura, sollicitudo". Frequens est Plauto, etiam Turpilio usitata; Accius denique ap. Non. ei significatum tribuit v. discordia, dissidium. *Fugela* mag. p. 336 i. q. fuga. Cato ap. Prisc. p. 601. Kr. Accedat vocabulum sermonis vulgaris *gumia* i. q. helluo mag. p. 311, Lucil. ap. Cic. fin. 2, 8, 24. *Inhonestamentum* mag. p. 275 „ne quid maculae aut inhonestamenti in me committam" (Grach. ap. Isidor. or. 2. p. 21); *querquerum* ib. p. 297., quam vocem alii pro adiectivo habent. Ficta e Graecorum v. *κάρκαρα* significat aperte febrem, quam nostrates medici appellant tertianam. Legitur praeterea ap. Lucil. Plaut. Gell. denique ap. Arnobium. *Seminium* i. q. generatio, procreatio dogm. Plat. 2. p. 26; Plaut. Lucret. Varr; *uterum* altera v. „uterus" forma mag. p. 327, Turpil. Afran. Plaut.; *nuntium* i. q. nuntius met. 7. p. 187, 8. p. 203., quam formam antiquis in usu fuisse Hildebr. Tom. 1. p. 517 declarat.

Tertiae declinationis sunt haecce: *calcitro* equi contumacis „recalcitrantisque" cognomen 8. p. 213, Varr. Plaut. *lurco* ibid. et mag. p. 311, ubi cum illa, quam modo attuli voce „gumia" coniungitur de homine libidinoso atque gulae dedito. Hanc vocem aeque atque v. calcitro vulgarem, praeterea habent Plaut., Lucil. ap. Non., Cic. ad. Att. Suet. gr. 15. *Domuitio* i. q. reditus domum, vox Apuleio satis frequens, 1. p. 105, 2. p. 128, 3. p. 138, 4. p. 158, 10. p. 247, 11. p. 269 praeterea Pacuvio et Lucilio usitata; v. „domum itio" legitur ap. Cic. div. 1, p. 32. 68. *Compectio,* novum quidem vocabulum huc refero cum Hildebr., qui vocem „compectus" (de qua et eiusdem stirpis similibus supra egi pag. 7. med.) antiquis in usu fuisse demonstrat Tom. 1. p. 727, idemque de v. „depectio" affirmat. Sequitur v. *aevitas,* quam habent Varro et Cic. legg. 3, 3, 7 laudans antiquas leges; quibus cum v. significet „vitae tempus", Apul. (dogm. Plat. p. 8) ei significatum tribuit vocis „aeternitas" Ceterum per hanc occasionem annoto vetustiorem adiectivi „aeternus" formam, q. e. aeviternus a Varrone bis scriptam apud Apul. quoque de D. Socr. p. 43 legi. Subiicio v. *solitas* 9. p. 225, Acc. ap. Non., cuius in locum recentiores substituere v. „solitudo". Difficultatem aliquam movet v. *piacular* bis apud scriptorem reperta. Namque de D. Socr. p. 43 leguntur verba „erroribus ac piacularibus", quae quidem vox intelligi non potest, nisi sensu v. piacular, *μίασμα*, Fabio Pictori, Ennio, Plauto Vergilio, Livio, Tacito usitatae; adiectivum vero *piacularis,* quod Plaut. Varr. Liv. habent, legitur mag. p. 303 „quinam testes huic piaculari sacro affuerint"; sed ibi de expiando sermo esse nequit, ut ap. Plautum Epidicus (1, 2, 36.) per iocum se appellat „piacularem ob alterius stultitias" atque Varro et Liv. loquuntur de hostiis sacrificiisve piacularibus. Nostro loco adiect. idem valet atque v. nefarius, scelestus, quemadmodum mag. p. 282 v. piaculum eodem sensu legitur „maius piaculum decernis, speculum philosopho quam Cereris mundum profano videre". Ita non opus est confugere ad emendationem „peculiari"; quod fecerunt, qui recordabantur „peculiariter" esse variam lectionem v. „piaculariter" ap. Tertullianum.—

Ultimo loco substantivum quartae declinationis profero *petitus* 6. p. 175; mag. p. 315; semel et ap. Lucret. et apud Gell. extans.

Perveni ad nomina adiectiva. *Coeligenae* dicuntur stellae mund. p. 57. semelque a Varrone; 1. p. 342 inter magiae instrumenta referuntur *capronеae*, caprorum capilli, qui „capronae" dicuntur a Lucil. ap. Non. *Eminulus* de eo, qui eminet d. D. Socr. p. 365; semel ap. Varr.; *iniurius* 11. p. 259 v. comicorum propria, quam ter habet Terent. semel Plaut. Cic. off. 3. 23; *morigerus* 2. p. 117. mag. p. 282. p. 321. Afran. Plaut. Lucret.; *vulgarius* mag. 281 i. q. vulgaris, Afran., Turpil. ap. Non., Gell. haud ita raro; (de forma *aeviternus* modo supra dixi); mag. p. 296 pisces quidam appellantur *calvaria* marina, quae vox redit p. 298 in versibus quos, ut ipse ait, ex Ennii Hedypatheticis recitat: „*calvaria* pinguia". Addo verba ex libro de dogm. Plat. p. 8; Dei, quos *medioximos* veteres Romani appellant"; ea vox bis reperitur ap. Plaut., ap. Serv. ad Vergil. Paul. Diac. in Philox. gloss. Met. 1. cap. 4. legimus „*enervam* et *exossam* saltationem explicat" i. e. mobilem agilemque. Iam v. „enervis" nusquam praeterea extat, v. „enervus" semel ap. Lucret. 3, 721, sed ut significet „ossibus carens" quo quidem significatu Apul. utitur forma „exossis" mag. p. 322 in. *Senticosus* flor. 4. p. 360, Afran. ap. Non., d. D. Socr. p. 51 legimus „in *creperis* rebus" i. e. incertis, dubiis; quod adiectivum vetustioris latinitatis esse auctor est Varro L. L., habentque idem Varro Pacuviusque, uterque, ap. Non., Lucret.

